(6

CAIETANI DE ANCORA

ELOGIVM

AVCTORE

SALVATORE GALLOTTIO I. C.

PONTANIANAE SOCIETATIS
ET REGII NEAPOLITANI SCIENTIIS
ARTIBVSQVE PROMOVENDIS INSTITVTI
SOCIO.

NEAPOLI CIƆIƆCCCXVI.

TYPIS PORCELLI

Praesidum venia.

EXCELLENTISSIMO. DOMINO
DONATO. MARCHIONI. THOMASIO
FERDINANDI. IV. P. F. S. A.
VTRIVSQVE. SICILIAE. REGIS
A. SECRETIS
ET. A. CONSILIIS. SANCTIORIBVS
SALVATOR. GALLOTTIVS
CLIENS. ADDICTISSIMVS
Χαιρειν και ευπραττειν.

Singularia Caietani de Ancora in me meosque omnes promerita, et vehemens, quo teneor, nec fortasse erubescendum, patriae litteraturae pro virium modulo exornandae illustrandaeque desiderium, ut hoc tanti Viri historicum contexerem elogium, me potissimum impulerunt. Cum enim beneficia grato sunt animo prosequenda, tum Virorum elogia, qui, doctissimis editis operibus, immortale sibi nomen peperere, eorumque summo-

rum in litteras meritorum commemoratio, non minus ipsorum, quam patriae suae, aetatisque, qua vixerunt, elogia haud iniuria censeri posse videntur. Id itaque unum spectavi. Aberraverimne, an collinearim, aliorum quidem iudicium esto. Opusculum tamen, qualecumque denique id sit, si Tuo, Excellentissime Marchio, exornatum nomine e meo pluteo exire patieris, cum hoc ipso haud plane improbasse videaris, nemo profecto sinistre illud excipere audebit. Nam Tu, praeter eximiam, ac paene divinam rei publicae administrandae scientiam, ea etiam omnigenae doctrinae laude excellis, ut cum Te intuemur, redditum nobis credamus celeberrimum illum Pontanum, qui ab civili prudentia summis Neapoli functus est honoribus, ab ingenio autem, et doctrina non ultimus apud nos habitus est bonarum artium restitutor. Patere igitur pro Tua facilitate, ut huic meo libello honoris ergo Tuum nomen inscribam. Debes hoc, non mihi

quidem (memet enim novi), sed patriis litteris, sed Ancorae ipsi, cuius cum in omni vita amicissimus, tum proximis hisce diebus studiosissimus extitisti Maecenas; sed vero etiam Pontanianae ipsi Societati, cui cum praesis, comiter ac benevole excipias oportet, quam quisque socius pro virili confert symbolam ad exornandas litteras atque illustrandas. Vale, Vir Excellentissime, atque Humanissime, vale, inquam, Religioni, Regi optimo atque Augusto, Patriae, Tibi denique ipsi, cuius vita, et salus honestissimo cuique est carissima.

Dabam Neapoli IV kal. Iun. cIↃIↃCCCXVI.

Qui suorum civium vel armis vel litteris illustrium vitas scribere adgrediuntur, non uno nomine mihi semper visi sunt commendandi. Primum enim non sinunt eorum memoriam prorsus interire, qui propter suam vel egregiam virtutem, vel singularem doctrinam, immortalem quamdam nominis perennitatem iure sibi postulare videntur: tum sanctissimis patriae votis, quam qui maxime, velificantur. Nihil enim illa vehementius optat, quam ut optime de se meriti filii quam diutissime vivant, vivendoque alios ad sui imitationem excitent, efficiantque excitando, ut ipsa talium virorum numero et splendore in dies magis inclarescat; neque unquam detur cuipiam id ipsum de se expostulandi ansa, quod de Gallia immerito (satis enim tunc temporis omnigenae doctrinae gloria florebat Gallia) querebatur Voltairus: *Curnam, proh dolor! curnam meum solum non est, ut quondam, gloriae, atque ingeniorum Patria?*

Ad haec qui virorum litteris praecellentium exempla, quaeque eos consecuta est honorum gloria et dignitas, iuvenum ob oculos proponit, mirum quantum eorum animos ad aemulationem

accendat. Quemadmodum enim cum Alexander in Homero Achillem, Carolus XII. Svecorum Rex in Curtio Alexandrum contemplabantur, incredibili quodam imitandi studio inflammabantur; ita cum generosae indolis adolescentes Virum quempiam intuentur litteris inclarescentem, et uno litterarum auxilio altiores in dies honorum gradus adscendentem, non potest non in eorum animis vehemens aemulandi fax exardescere. Quo fit, ut persaepe unus huiusmodi vir plures excitet sui simillimos. His itaque rebus adductus non invitus feci, ut Ancorae vitam susciperem scribendam. Sed me praeterea quaedam etiam persolvendi officii necessitas, ad id laboris adgrediendum adegit. Ancora enim, dum vixit, familiarissime usus sum, eaque familiaritate summopere delectabar, quod ab eius consuetudine videbar quotidie aliquid addiscere; neque me pudet fateri, si quid in philologia sapio, totum id, quod certe est exiguum, ab eo accepisse. Itaque ut amici maximis in me meritis qualemcumque possem gratiam referrem, id dedi operam, ut, quoad eius fieri posset, is per me vitam viveret immortalem (1).

Caietanus de Ancora Augustini, et Rachelis Ferrariae filius Neapoli natus est anno 1751, VIII Idus Octobris. Pater eius tametsi mercaturae deditus, suos omnes filios liberalibus arti-

bus imbuendos curavit, Caietanum in primis, cuius perspicax, et promtum ingenium non dubium faciebat auspicium, si excoleretur, non ultimum inter litteratos viros locum aliquando habiturum. Nec patris curas fefellit Caietanus. Nam edoctus domi prima Grammaticae elementa, audiit deinde Emmanuelem Campolongum, Iacobum Martorellium, et Carminem Santorium, doctissimos ea tempestate Viros, a quibus Latinas, Graecas, Hebraicas litteras tanta aviditate arripuit, easque tanto studio excoluit, ut inter aequales unus omnium maxime excelleret; quapropter si felices videbantur Tullio, qui egregiam sortiti indolem optimam quoque institutionem obtinuissent, fortunatissimus haud dubie habendus est Ancora. Incredibile autem dictu est quantopere suos hosce Praeceptores omni vita reveritus fuerit Caietanus, prae ceteris Martorellium, quem semper honoris caussa in suis operibus nominat, nec parcis prosequitur laudibus.

Nec dum decem et octo annos expleverat Caietanus, cum idoneus visus est, qui in Academia militari ingenuas artes edoceret, ut merito mirarentur omnes, quam aetatem negligentiores adolescentuli in ludicris, diligentiores in discendo transigunt, hanc ipsam Caietanum in docendo impendere. Sed illud non minus

mirandum, quod id aetatis adolescentulus apud exteras etiam gentes ita ingenii fama inclaruerit, ut magni eum facerent et Princeps Biscariensis in Sicilia, et celeberrimus Mur Norimbergae, et non multo post Ioannes Christophorus Amadutius et Princeps Turrrismutiae, et alii aliarum gentium Viri doctrinae laude praestantissimi, quod ex litteris constat ultro citroque datis et acceptis (2). Vargas autem, Martorellius, aliique eiusdem nominis nostrates sic Ancoram suspiciebant, tanquam felicissimam arbusculam uberrimos suo tempore fructus in scientiarum agro laturam.

Degebat ea tempestate apud nos Hamilton Britannus, Vir et elegantiorum artium, et Archaeologiae, et Physicorum consultissimus. Hic ut Ancoram novit, statim iuvenis ingenium demiratus, in suam familiaritatem accepit, neque ullam amisit occasionem currenti acriores stimulos admovendi. Cui ut qualemcumque gratiam referret Ancora, opusculum, primum sui ingenii fructum, inscripsit. In eo interpretatus est anaglyphum quoddam aegrotum exhibens lectulo recumbentem, muliere adstante, quae morientis spiritum ore excipit, tum et viro palliato, qui poculum aegroto porrigit, et ancilla cum taenia (3). Cuius quidem opusculi sive linguae elegantiam, sive reconditae eruditionis copiam,

et delectum, sive interpretationis ipsius sapientissimam pariter, ac felicissimam rationem inspexeris, aegre credas, ab adolescentulo editum nec dum unum supra vicesimum aetatis suae annum praetergresso.

Sane primum hoc ingenii specimen publici iuris factum tantam gloriam auctori comparavit, ut ad ipsius Regis aures perveniret. Qui quidem ratus semper nihil optimo Principi gloriosius, quam ingeniis favere, et litteris, Caietanum Palatini scrinii libellensem renuntiavit; quod quidem munus multo erat et dignitatis specie honestius, et utilitate uberius, quam quod ad eam diem exercuerat. Ancora vero in eo perfungendo, cum non minus fidei, et integritatis, quam doctrinae pro re nata expromeret, fiebat propterea saepe, ut maximi momenti negotia ei committerentur expedienda. In hoc, ut ita dicam, circo octo et triginta ipsos annos cucurrit Caietanus tanta vel civilis prudentiae, vel honestatis opinione, ut nemo dignior occurreret, cui ea lampas traderetur.

Quamquam autem sui muneris partes religiosissime explere prima illius cura erat, nunquam tamen politiores litteras obliviscebatur, quarum amore ita flagrabat, ut diutius earum consuetudine non posset carere. Itaque quidquid temporis a publicarum rerum curis

superabat, totum id Musis unice impendebat. Difficile autem iudicatu est, utrum melius de litteris, quam de re publica sit meritus: de utrisque certe optime est meritus: haud tamen ambigerem affirmare, ex publicis muneribus magnas cum ad se ipsum, tum ad universam rempublicam utilitates pervenisse; ex litteris vero eum longe praestantiorem retulisse fructum, ut nominis celebritatem acquireret nullo post tempore intermorituram.

Quemadmodum autem virorum armis, et virtute praecellentium laus in bellicis maxime facinoribus posita est; ita eorum, qui litteris claruere, gloria ex operibus arcessenda est, si qua scripserint atque evulgarint

Digna linenda cedro, et levi servanda cupressu.

Quamobrem de viro doctrinae laude insigni scribentes haud exiguum operae pretium facturos remur, si quae ille ad rem litterariam exornandam, scripsit, recensebimus.

Cum plusculos ante annos adscitus fuisset Ancora in celeberrimam societatem Etruscam, quae Cortonae floret, diuque siluisset, sui tandem diuturni silentii tanquam rationem allaturus, dissertationem exaravit, cui titulus: *De silentii apud veteres usu*: eamque ad suos Collegas misit. Haec italica lingua con-

scripta Neapoli edita est anno 1782 (4). In ea vero praeter omnigenae, non tamen promiscue arreptae, eruditionis copiam, praeter patriae linguae nitorem, illud cum primis commemorandum occurrit, quod prudentissimus auctor non repetita crambe lectores enecat, sed nova fercula exquisitiore quodam iure condita apponendo mirifice recreat, ac delectat. Ita factum est, ut argumento, quod hisce temporibus levius in speciem atque inanius fortasse videri poterat, ea per Ancoram restitueretur gravitas, et religio, quam vetustioribus aetatibus apud prudentissimas quasque gentes obtinuit. Sane tanti apud Ægyptios habitum olim silentium, ut ei Deum praeficerent Harpocratem dictum, quae vox Phoenicum lingua societatis ordinem, Πολιτικην significat. Neque minoris fecerunt Graeci, in sacris praesertim. Romani vero cum in omni augurali disciplina, tum in iurisprudentia maxime religiosissimo usi sunt silentio. Neque id mirum. Vt enim scitissime scripserunt et Bossuetus, et Vicus noster, nihil ad reverentiam conciliandam silentio aptius, nihil ad consilia perficienda accommodatius. Nam gravissima quaeque, ut vulgantur, sordent, et cogitata quaelibet, si erumpunt, evanescunt: quare merito Horatius cum virtutem insigniter laudasset, haec de silentio adtexuit:

Est et fideli tuta silentio
Merces. Vetabo, qui Cereris sacra
Vulgarit arcanae, sub iisdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Solvat phaselum.

Hanc itaque Ancorae de re tanti momenti dissertationem maximo exceperunt plausu Cortonenses Academici, ut fidem faciunt duae epistolae; quarum alteram Praepositus Curtius Venuti Academiae, quem vocant, *vice-Lucumo* ad Ludovicum Coltellini scripsit, insignem ea tempestate eruditum, alteram Ludovicus ipse ad Ancoram misit (5).

Post hanc dissertationem iterum siluit Ancora, et quidem integrum quinquennium. Nihil enim edidit ad annum 1787. Sed quae postea evulgavit opera tam diuturnum silentium abunde pensarunt, ut merito dici posset, quod de se Scipio, nunquam minus otiosum fuisse Ancoram, quam cum otiosus videretur. Itaque anno 1787 typis commisit, publicique iuris fecit dissertationem *de Puteorum apud veteres usu*. In hoc enarrando argumento non minorem se Philosophum, quam Archaeologum probavit Ancora; quippe qui eruditas quaestiones, steriles plerumque atque infructuosas, non invitas traxit ad publicas utilitates, factoque probavit, quod ipse semper prae se tulit, (6) nihil aliud

philologiam esse, nisi philosophiam rebus confirmatam. Cum enim multa e puteis commoda in communem vitam redundantia explorasset, illustrassetque, tum illud ingeniose pariter, ac vere animadvertit, veteres in effodiendis puteis, id in primis spectasse, ut sibi a terraemotibus caverent. Quod non coniectando dumtaxat asseruit; sed scitissimis argumentis, ex penitiori eruditione erutis, mirifice confirmavit (7).

Eodem anno epistolam de Aesopicis fabulis Galietti operi inseruit de versione Psalmorum, quam Matthaeus, et Rugilus vulgaverant (8): ita ut iam videretur non unius alteriusve rei ambitu Caietani doctrina contineri, sed ita longe lateque excurrere, ut non satis habens de suo aliquid identidem in rei litterariae emolumentum conferre, alienas etiam lucubrationes, quae se cumque daret occasio, doctissimis animadversionibus splendidiores faceret, ac locupletiores.

Id ipsum praestitit anno 1790 cum Italicam Pindari versionem, quam Cl. Antonius Ierocades concinnaverat, diatriba auxit de solemnibus Graecorum ludis (9). Id argumenti satis per se implicatum et amplum ita sobrie et perspicue tractavit. Ancora, ut nec praescriptos sibi limites transiret, nec quidquam eorum omitteret, quae ad rem illustran-

dam pertinebant. Itaque id consecutus esse videtur, ut et post tot illustrium Virorum, Fabri, Corsinii, Averanii, ceterorumque labores de hoc argumento scribentium, sua de ludis dissertatio nec sine fructu, nec sine voluptate legeretur. Huius autem diatribae mentionem fecere, eamque non parce laudarunt litterariae Ephemerides Romanae anni 1790 num. 52. Illud vero iure dolent eruditi, quod Graecorum in solemnibus ludis victorum historiam numis illustratam, quam in hac diatriba promiserat, nunquam postea ediderit.

Haec, quae iam vulgaverat Caietanus, cum bonae frugis et exquisitioris succi plena omnia essent, ingens fecere eruditis desiderium, ut novis ille ingenii sui fructibus rempublicam litterariam locupletaret. Cum vero is pro sua modestia et verecundia minutiora quaedam sua negligentius curare videretur, eruditi contra, ut Caietani chartula aliqua in eorum manus perveniebat, eam continuo publicae lucis usura donare satagebant. Ita cum dissertationem ille *de Virginitatis apud veteres signis* multa nec de medio sumta eruditione refertam scripsisset, eiusque exemplum in Michäelis Rosae doctissimi Equitis manus incidisset, statim is Montalbani vulgandam curavit, haud diu passus, amici sui tam doctum laborem in tene-

bris delitescere (10). Edita eodem pacto aliena manu fuere quaedam funebria elogia, quae Ancora Antonii de Ianuario, Ducis Belfortis, optimi sui amici, aeternandae memoriae conscripserat, eaque inserta leguntur in Anthologia Romana anno 1791. num. 35.; quae quidem elogia ab lapidarii styli elegantia maximis laudibus extulere Romani Ephemeridum scriptores, suisque in diariis inseruerunt.

Eadem Ancorae fama, et doctrinae opinione adductus typographus Masi Liburnensis ab eodem petiit, impetravitque, ut suis excuderet typis opus quod Ancora exaraverat *de metallicis Brutiorum fossilibus* (11).

Quae de puteis, deque virginitatis signis superioribus annis scripserat Ancora, satis quidem arguerant, quam feliciter ille cum penitiore eruditione studium, contemplationemque naturae coniunxerat: hoc tamen opus de metallicis Brutiorum fossilibus mirifice probavit, quanta solertia et diligentia abstrusiores naturae latebras perscrutatus esset. Fossilia autem, quae in hoc opere praecipue illustranda suscepit, sunt Cadmia, Molybdaenum, et Magnesia: tum arrepta occasione in vasa murrhina apud veteres celebratissima excurrit, eaque veterum scriptorum monumenta conferendo, atque interpretando tam doctis mactat commentariis,

tantaque eruditionis luce perfundit ; quanta ab summo Philologo , naturaeque non sordido auctore sperari poterat . Proinde merito summis laudibus id opus extulere Mediolanensia opuscula , litterariae Caesenae , et Romae Ephemerides , et Bulionis Encyclopaedicae .

Dum exteri Ancorae nomen certatim celebrabant (12), Ancora vicissim iis praecipue gratificandi caussa , opus *de Puteolanis antiquitatibus* elucubratus est , quod quidem Italice , et Gallice scriptum Neapoli lucem aspexit anno 1792 (13). Cumae , Misenus , Bauli , Baiae , Puteoli , loca hodie obscura fere atque ignobilia , quae quantaque olim vel ab aedificiorum magnificentia , vel ab Principum virorum illuc rusticandi caussa confluentium amplitudine fuerint , tum ex veterum scriptorum monumentis, tum ex suismet ipsorum ruinis , et immensis ruderibus satis intelligitur . Nusquam fortasse opportunius , quam inibi , illud Maronis recinere liceret :

Tantum aevi longinqua valet mutare vetustas !

Mare , terraemotus , Vulcanorum eruptiones , barbararum gentium alluvies , temporis ipsius nihil non arrodentis diuturnitas , eius regionis faciem ita decoloravere , ut prorsus aliam ab antiqua fecerint .

Quae cum ita sint, neque naturalium rerum peritus sine Archaeologiae praesidio, neque Archaeologus naturae destitutus intelligentia, talem se ducem praebere potuisset, ut non vias modo, et loca; sed singula quaeque rudera, quo olim pertinuerint, quibusve de caussis eam induerint faciem, advenas edoceret. Vtroque doctrinae genere cum apprime excelleret Ancora, quem ducem edidit libellum, eiusmodi fuit, qui advenarum curiositati abunde satisfaceret. Quo fit, ut, quicumque ab longinquis regionibus illuc commigrant, quamvis antiquarum rerum callentissimi, hoc Ancorae libello comite utantur, ac magistro. Eadem libelli utilitas, et praestantia fecit, ut maximopere eum commendarint cum Ephemerides qua Romanae, qua Neapolitanae, tum plerique Viri doctissimi, quibus fuit cum auctore litterarum commercium (14).

Eodem anno 1792 edita est Veronae in VI Societatis Italicae actorum volumine Ancorae dissertatio de Gigantibus, qua Vici potius, quam Mazochii opinionem secutus, Gigantum nomine non alios ab veteribus intellectos probare et erudite, et sapienter nititur, nisi viros praevalidis viribus praeditos, et audacia facinora molitos (15).

Varia haec opuscula tanta penitioris doctrinae

copia referta, tamque brevi spatio aliud ex alio edita, nolim, quempiam in eam inducant opinionem, ut existimet, aut Ancoram ab suo munere omnino cessasse, aut in eo explendo segnius sese gessisse. Immo vero adeo non officio suo defuit unquam; adeo non eius desiderata est unquam diligentia, ut ipsius diligentiae gratia ad altiores in dies gradus eveheretur, maiusque suis laboribus adpenderetur hostimentum. Hoc obiter monito, pergamus porro reliquos Ancorae litterarios foetus recensere. Erudita in Xaverii Macrii (16) Viri clarissimi Chymicae elementa de Graeco igne adnotatio; tres anonymae epistolae de Marmoreo Veneris et Adonidis simulacro, opere immortalis Canovae, Italici Phidiae, manu sculpto, quod in aedibus eruditissimi Marchionis Berii Neapoli visitur, in diario Neapolitano vulgatae; epistola alia de notionibus, quas veteres de maris aestu habuerunt, quae honorificum meruit locum in Anthologia Romana, in Mediolanensibus opusculis, et in Neapolitano diario (17): haec, inquam, docta, et erudita opuscula, quae in cuiusvis litterati hominis vita enarranda digna essent, quae scriptorem pariter, ac lectorem remorarentur, in Ancora, de quo effari licet, quod olim de Achille dictum,

Alterius esset gloria et summum decus,
Iter est Achillis;

si per nos commemorantur dumtaxat, nemo miretur. Longe enim maiora habemus legentium oculis subiicienda, ita ut, quae hactenus scripserit Ancora, quamvis et magna, et illustria, nonnisi maiorum atque illustriorum operum prolusiones iure possint haberi.

Xenocratis opus περι της απο ενυδρων τροφης inde a saeculo XVI. etiam post tumultuarias Franzii curas intactum, inornatumque adhuc videri poterat. Huius criticam editionem aggressus est Ancora, in qua quidem ab usitato scribendi genere aliquantulum discessit; quae enim ad eam diem scripserat, eo persequutus fuerat stylo, qui lectorem in abstrusae eruditionis dumeta adductum, convestita flosculis oratione, nunc fastidientem excitaret, nunc defessum reficeret, nec cuivis esset intellectu difficilior: uno verbo ad omnes se demisit, ut ab omnibus intelligeretur. In hoc contra opere litteratos unos allocuturus eorumdem lingua usus est. Neque aliter fieri quidem poterat. Textus enim Graecus restaurandus, et illustrandus, variae MSS. lectiones, adnotationes suae aliorumque superiorum editorum, Glossarium Franzii recognitum ab eo, et auctum, omnia erant eiusmodi, ut non alio dicendi genere,

quam quod ex vetustissimo more litteratissimi quique viri usurpaverant, exponenda essent. Proinde adeo id probarunt exteri Viri doctrinae laude celebratissimi, ut ipsorum non pauci suam quisque symbolam in id conferrent; Harlesius in primis, et Grunerius Germani; e Gallis vero Chardon de la Rochette; tum (ut ceteros praeteream) eruditorum nostri aevi illustrissimus Smyrnaeus Coray, cujus in Xenocratem doctissimas observationes cum Ancora per modo laudatum Chardon de la Rochette accepisset, suae editioni inseruit, additis de suo adnotationibus, et quantivis pretii dissertatione *de piscium esu*. Quae vero fuerit eruditorum omnium de optima hac Xenocratei operis editione sententia, tum ex eorum operibus, tum ex litteris ad auctorem datis, quas in adnotationibus recensebimus, pronum est dignoscere (18). Neque vero iniuria. Hoc enim opus cum multis aliis nominibus commendetur, tum id habet singulare, quod quaecumque occurrunt quaestiones, ita illas Auctor enucleat, enodatque, ut nunquam non acu, quod aiunt, rem tangere videatur.

Grati animi officium si minus a sanctitate, ab utilitate certe officiis omnibus, nisi mea me fallit opinio, antecellit; quippe quod et hominum inter se benevolentiam alit, nec be-

nignitatis fontes patitur arescere ; cuius quidem cum omnes, tum doctos praesertim, qui officiorum magistri habentur, meminisse oportet. Huic officio nunquam defuit Ancora. Rogatus enim ab eodem Harlesio, ut ad se Catalogum mitteret omnium MSS. Graecorum qui in Regia, atque in S. Ioannis ad Carbonariam Bibliotheca extabant, molestissimum laborem libentissime suscepit, duosque ad Harlesium catalogos remisit; alterum Carboniani Coenobii Codd. a se, alterum Regiae Bibliothecae ab ipsius quidem praefecto confectum, quos ille catalogos in recudenda bibliotheca Fabriciana VI volumini inseruit, addito ipsius Ancorae plenissimo elogio, non minus scribente, quam accipiente digno.

Nec dum refrixerant gratulationes, et plausus, quos tam docti, atque eruditi operis editio exciverat, cum ecce tibi Ancora alio, nec minoris pretii, foetu litterariam rempublicam ditavit. Scripsit enim *de Physica veterum in aedificandis urbibus oeconomia*; quo quidem opere, si utilitatem spectes, nihil dixeris praestantius. Quid enim utilius, quam nosse quaecunque in publicis privatisque aedificiis ad incolentium incolumitatem solers veterum sagacitas exploravit? Quantam inde lucem, si velit, nostra hauriet Architectonice? Quantos in com-

munem utilitatem fructus indidem derivabit? Excutere autem vetustiorum scriptorum monumenta, atque inde quidquid ad rem faceret colligere, summae erat sedulitatis. Sed homini publicam utilitatem unice spectanti nihil videbatur grave, nihil molestum (19).

Dum sui muneris partibus explendis, litterisque illustrandis per otium dat operam Ancora, turbantur Gallorum adventu in Italia res, turbantur omnium maxime Neapolitanorum animi. Rex cum omni Regia familia in Siciliam secedit:

Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Tum vero maxime apparuit quanta esset Ancorae in Regem optime de se meritum fides et constantia. In secretiorem enim suae domus angulum se abdidit, uno Musarum colloquio, et consuetudine usurus, et doloris acerbitatem levaturus. Non defuere id temporis, qui eum e tenebris elicere conarentur, et in editiore loco ponere; verum is inauspicatam Rempublicam abominatus, quamcumque conditionem, tanquam iniquam, ac Ferdinando etiam absenti iniuriosam, eiuravit. Sedata post paucos menses tempestate, restitutisque in pristinum locum rebus, ut Neapolim rediit Rex, de Ancorae fide, et constantia certior factus,

ei in Regia studiorum Vniversitate Graecae linguae edocendae munus ultro detulit : cumque idem Ferdinandus sub idem tempus Collegium quoddam ordinandis lyceis, Francisco Seracto Praefecto, creasset, eidem Ancoram a secretis inservire iussit . Per hanc occasionem cum quae in iuventute educenda peccarentur propius animadvertisset , Seracto, opinor , hortante , novam publicae institutionis methodum, rationemque concinnavit , proposuitque . Hanc cum universum Collegium accurate excussisset , cunctis suffragiis adprobavit , Seractusque ipse , acri iudicio Vir , non semel publice praedicavit . Adeo verum est , vivida , et feracia ingenia , cuiusmodi contigit Ancorae , quo magis Patria honoribus demandandis excutit , eo tamquam silices , suomet ipsorum veluti affrictu maiorem flammae vim , ne Patriae spes frustrentur , emittere ; nec falso affirmasse Helvetium , occasiones facere ingenia , non ingenia occasiones .

Sed redeamus ad Ancoram Graecae linguae Professorem renuntiatum . Vix dici potest quam gratum id , optatumque doctis omnibus acciderit . Nemo enim non graviter ferebat , nemo non turpe Neapolitano nomini ducebat , quod Viro tanto ac de melioribus litteris tam bene merito nullum ad eam diem litterarium munus

delatum esset. Hanc provinciam non invitus suscepit Ancora, quippe qui et adolescens in ea versatus erat, et nullam fructuosiorem operam in Patriam navari posse rebatur, quam quae in edocenda iuventute poneretur. Itaque in auditorum usum, commodumque Graecorum scriptorum syllogen statim edidit, et Bosii egregiam de Graecis antiquitatibus Epitomen recudendam curavit (20), plura haud dubie, et maiora adgressurus, si tempora sivissent. Ad eum autem audiendum quam frequentissimi confluebant adolescentes, adolescentes autem? immo vero etiam viri satis in Graecis litteris progressi. Nam praeter penitissimam Atticae linguae intelligentiam, praeter singularem quamdam suaviloquentiam, tanta in docendo utebatur perspicuitate, tam facili, atque explicata methodo, tantis denique leporibus, et veneribus suam pro re nata adspergebat orationem, ut discipuli et bene omnia intelligerent, et cum inter Grammaticae dumeta versarentur, sibi tamen in amoenissimis viridariis spatiari viderentur: quod quidem adeo difficile est, ut non dubitarit scribere Heinnecius, ex immensa docentium multitudine vix centesimum quemque reperiri, qui, quod ipse scit, sciat etiam alios edocere.

Interea tanti Viri fama excitus Moschorum Imperator anno 1803 magnis propositis praemiis

Ancoram ad se invitat, ut Wilnae in celeberrima studiorum universitate Graecas litteras edoceat. At vero Ancora illud animo reputans probi civis esse, tenuiora pro patria, quam ditiora pro exteris, stipendia facere, actis, ut par erat, maximis Imperatori gratiis, tam speciosa, tamque utili conditione uti noluit. At Imperator vere magnus, tanti Viri in Patriam amorem demiratus, sibi temperare non potuit, quin eum in Wilnensi Lyceo honorarium saltem antecessorem declararet. Gloriosum fuit Imperatori tantum Virum ad se vocasse: gloriosius Ancorae tantam fortunam posthabuisse Patriae.

Quamquam vero professoris munere in Regio Athenaeo diligentissime fungeretur, neque minus rebus gerendis assidua cura, studioque vacaret; litterarum studium ita semper excoluit, uti et praeter iam memoratam Graecam syllogen, Bosiique opus, plura quoque primis saeculi XVIII annis ediderit. Memoranda ex his maxime videtur dissertatio *de sacris veterum lustrationibus* ea qua par erat eruditione Italice conscripta (21); de Herculaneo, ac Pompeiis opus, quo exterorum undique ad ea rudera concurrentium votis satisfieret (22); Herculis cervum sternentis ex aere Pompeiis effossi explicatio (23).

Sed ecce novae per Italiam turbae, iterum Rex in Siciliam, iterum ad suas latebras Ancora, ubi ipse minus aegre suarum fortunarum damna ferebat, quam Patriae calamitatem, Regisque amatissimi desiderium.

Sed Ancoram in tenebris apud suos iacentem non minus exteri colebant, ac celebrabant, quam florentem, et in Reipublicae litterariae versantem luce, paucis ante annis, fuerant reveriti. Sane non pauci ex his eum in suas litterarias societates cooptarunt, eorumque rogatu quaedam ipse scripsit eiusmodi, quae praeconceptam apud eas gentes de eius doctrina opinionem maximopere augerent, in his dissertationem *dè portentosis quibusdam veterum sacrificiis* Actis Italicae Academiae insertam (24). Ceterum in tantis suorum civium, suaeque patriae aerumnis, omnis Ancorae insuavis erat, et iniucunda gloria, neque aliud eius oculis obversari videbatur, praeterquam illud veteris Philosophi effatum: λαθε βιωσας.

Quod Regnum Galli vi, et armis Ferdinando eripuerant, id Vindobonense Concilium, leges ac iura secutum, eidem restituendum decrevit. Reddito itaque decem circiter post annos suo huic Regno Rege, ac Parente, haud diu expectandum fuit, ut, quem singulari sua fide ac constantia meruerat, fructum referret

Ancora. Quare non modo pristini sunt ei retributi honores, sed auctiores etiam facti. Nam publicae institutionis Collegio a secretis operam dare Regiis litteris iussus est.

At vires corporis tot laboribus attritae, animus praeterea tam diuturno, tamque acerbo publicarum calamitatum dolore confectus, haud siverunt, ut tanta Regis munificentia diutius Ancora frueretur. Itaque morbo satis longo et molesto correptus, hoc ipso volvente anno 1816, frustra in auxilium arcessitis medicorum optimis, fato cessit IV. nonas Martii. Elatus est, comitantibus collegis, sepultusque in Templo D. Ephraim. Virum doctrina insignem, insigniorem fecit publica moestitia eius mortem consecuta, omnium, ut aiebat Seneca, honestissimum tributum, quod Patria suis civibus optime de se, et de bono publico meritis possit solvere.

Fuit autem Ancora corpore procero, sed gracili, forma non invenusta, fronte ampla, et ad hilaritatem composita. Valetudine usus est ad annum 1799 satis prospera. Ab eo tempore animus ab publicarum calamitatum contemplatione in dies aegrior corpori quoque vim fecit, eiusque vires paulatim corrupit: cibi somnique parcior: laboris patientissimus. Is corporis habitus. Animi quae conspiciebantur virtutes, hac potissimum fuerunt. Verae religionis cul-

tor ab impietate aeque atque ab superstitione sibi cavebat: officiorum omnium observantissimus illud cumprimis coluit, quod oppresso adversus opprimentem opem afferre iubet. Doctrina ingenium, delapsa e Caelo sapientia animum excoluit: tam discendi cupidus, quam cum aliis benigne communicandi quae didicerat. Mancam enim existimabat eam sapientiam, quae uni sibi saperet. Quare in excolendis litteris id semper satagebat, ut ex iis exculperet quidpiam ad communis vitae usum, atque utilitatem. Probe enim meminerat quod Baco Verulamius scripserat, qui libros ita volvunt, ac meditantur, ut nihil inde ad publicum emolumentum extundant, hos quam simillimos esse vestalibus, quae rebus divinis faciendis unice intentae nihil de societate, cuius ope vivebant, erant sollicitae. Quo ipso iuvandi studio adductus, ut novas utilitatum scatebras aperiret, tritis, et putribus relictis viis, avia, atque intentata quaerebat. Propositi idem tenax, non ita tamen, ut cognita veritate non libenter daret manus. In utraque fortuna aequanimus, nec in adversis quidem rebus querulus. Ambitionem exosus, honores malebat mereri, quam consequi. Ingenium multiplex et versatile, ubique tamen eamdem prae se iudicii gravitatem, ac maturitatem ferens. Historiam omnium maxime dile-

xit, quod eam modo fortitudinis in rebus adversis, modo temperantiae in secundis praeclarissima, suis oculis subiicientem exempla optimam vitae magistram cum Cicerone experiebatur. Doctorum amicitias appetebat unice, amicorumque consuetudine ita delectabatur, ut tum sibi beatissimus videretur, cum inter amicos versaretur. Itaque non modo doctissimis exteris, quod iam vidimus, familiarissime usus est, sed iis etiam, quos suo tempore Neapolis tulit, eruditissimis viris: e quibus silentio praeterire piaculum esset Cl. March. Nicolaum Viventium Virum et scriptis operibus, et summis, quos gessit, honoribus immortalem (25); tum clarissimos ac doctissimos Viros Franciscum Colangelum, et Aloysium Thylesium Oratorii Sacerdotuni familiae duo illa decora atque ornamenta; denique Andream de Iorio, Neapolitanae Ecclesiae Canonicum, Publicaeque per Provincias Institutionis Inspectorem, tum et Cl. et Summum Virum Angelum Antonium Scottum, Regium papyrorum Herculanensium interpretem, in Generali Archivo Palaeographiae antecessorem, atque Regiae Academiae Historiae, et Antiquitatis XX Virum: quorum virorum summam eruditionem summa cum pietate atque humanitate coniunctam iure omnes suspicimus atque admiramur. Societates autem litterariae, quae eum cunctis paene suf-

fragiis inter suos adlegerunt ad octo, et decem numerantur. Insigniores in his fuere Londinensis, Bononiensis, Neapolitana Regia, et Herculanensis, Mediolanensis, Ienensis Latina, Mantuana, Columbaria, Florentina, Taurinensis, Italica, Patavina, quibus omnibus fuit socius semper carissimus. Non temere idcirco tam cari capitis desiderium aegerrime ferunt amici; quorum animi aegritudinem duo praesertim non leviter minuunt, ac solantur: alterum, quod in Ancorae operibus Ancoram ipsum et redivivum videre, et secum colloquentem audire sibi videantur; alterum, quod prudentissimus Rex in illius locum Donatum Lilium subrogarit, Virum vel morum suavitate, vel vitae integritate, vel omnigenae eruditionis praestantia cum primis comparandum, Neapolitanae Historiae, et Antiquitatis Academiae socium, talem denique, qui Ancorae iacturam satis abunde possit pensare, paremque in publica iuventutis institutione operam praestare.

ADNOTATIONES.

(1) Cum multa Cl. Ancorae in me atque immortalia merita non sine voluptate recordor, tum muneris praecipue, auro contra non cari, quo me prosequutus est, memoria adhuc summopere delector. Quum enim Virum amicissimum, atque humanissimum, quod saepe fiebat, viserem, is me olim eximio beavit dono operis inscripti *Institutum societatis Iesu*, editi Pragae anno 1762, donumque his verbis comitatus est: *Summam in eo libro nec fucatam philosophiam, praeclaraque ad vitae usum, moresque informandos contineri*. Quae cum libri ipsius lectione verissima esse comperissem, ipsamque Iesu societatem a viris summis Muratorio, Maffeio, ipso denique Robertson (ut ceteros mittam innumeros) summis viderem laudibus efferri, mirum me iam subiit desiderium, ut institutum illud, si minus ubique terrarum, apud nos saltem, pientissimi Regis auspiciis, ad publicae educationis, pietatis, morum, litterarumque incrementum feliciter reviviscat.

(2) Extant Cl. Murr ad Ancoram litterae datae annis elapsi saeculi 77, 78, 79, 80, Ancorae XX, XXI, XXII, XXIII. Summis in iis adolescentem laudibus prosequitur Norimbergensis philologus. Lubet ex his epistolis unam hîc edere, in qua doctissimi Martorellii obitum deflet, atque Ancoram eius *litterarium ex asse heredem praedicat*.

Clariss. Domino Caietano Ancora
Christoph. Theoph. de Murr, Patricius Norimbergensis, Salutem.

Obitum doctissimi viri Martorellii valde vehementer

que doleo. In ultimis ad me datis d. 12. nov., decem igitur diebus ante mortem, ita ad me inter alia:

Corradonem, mercatorem convenimus, virum religiosa sollicitudine omnia circumspectantem, animumque prae se minutum ferentem (*); *hinc animi pendeo, cuinam 4 tomos in 4, aliasque breves meas elucubrationes ad te mittendas commendem, ut et Thecam calamariam meam in quarta forma 2. voluminum. Charta quoque montis Aetnae ab Recupero edita in promtu est. Vtinam exemplaris Anthologiae celeberrimi domini Brunck essem particeps!*

Te igitur huius fasciculi compotem facio, teque, Vir Doctissime, Martorellii mei heredem litterarium declaro, et scribo ex asse, hac tamen lege:

1) ut res in illo contentas Dom. Camillo Paderni monstres, illique meo nomine ea, quae desiderat habere, tradas. Proxime ad eum scribam.

2) ut mihi praefata opera Martorelliana, mihi gratis promissa, mittas, adnexis aliis litterariis novitatibus Herculanum maxime spectantibus. Indicabo tibi in proximis mercatorem ad quem fasciculum deferri curabis, quia Corradone difficilis homo est.

3) ut catalogos mss. et librorum meorum, quos in duplo possideo, aut vendere cupio, distribuere haud

---

(*) id quod verissimum esse videbis ex schedula hic adnexa, e litteris ad Dom. Io. Christoph. Zabuesnig, amicum meum, et mercatorem Augustanum datis, quam descripsit Dom. Zabuesnig. Adiunxerat b. Martorellius epistolam Dom. Principis Mich. Vargas Macciucca, quam ad me dedit. Rogo ut Viro excellentissimo me de meliori commendes.

graveris. Gratum me habebis memoremque amicum. De pretiis nihil minuitur.

4) ut mihi saepius scribas.

Vale et mihi negotiis propemodum obruto fave. Dabam Norimbergae d. 13 Dec. 1777.

(3) Editum est A. 1778 Neapoli VII Kal. Octobris XVII pagg. in 4 cum hac epigraphe:

BONAE MENTI SACRVM
QVOD NOBILE INGENIVM OMNIBVS PROBARIT
HVMANITATEM AC INGENVAS ARTES EXERCENDO
GVILLELMVS HAMILTON AB ORD. BALNEI
SPECTATISSIMVS EQVES
GRATI ANIMI TESSERA NOVO
OMINE RENOVANDA

Haud vulgaria cognituque dignissima in eo opusculo attulit adolescens de veterum lectulis, de ritu extremi spiritus ore rapiendi, de mortis malorumque poculo, et de fasciolis sepulcralibus.

(4) Hoc titulo edita: *Memoria sulla osservanza degli antichi del silenzio, scritta per l' accademia Etrusca di Cortona da G. A. A. E. Napoli* 1782. *pag. XXXII, in* 4.

(5) Ipsam Venuti epistolam Ancorae nostro perhonorificam lubet hoc loco subtexere.

Eccel. Sig. Dottore

Finalmente, come Ella sa, è stato tenuto nella nostra Accademia uno de' soliti letterarj congressi, ove è stata letta la dissertazione, che Ella ci ha favorito *sull' osservanza del silenzio presso gli Antichi*. In quest' adunanza ho sentito pubblicamente confermare quei tratti di elogio, e quei sentimenti di stima, che particolarmente con ogni giustizia sono stati accordati al

dotto autore, da cui la repubblica letteraria, e specialmente il nostro istituto, si lusinga di ottenere altre produzioni per la continuazione de' nostri atti, alla quale si porrà mano tra non molto, come Ella avrà rilevato dal manifesto, che le mandai, e che prego trasferire al sig. d' Ancora.

Le notizie che ci dà il nostro socio nella sua dissertazione, e il tema che egli ha scelto, divengono di somma utilità per gli studiosi dell' Antiquaria. Io che nelle mie piccole vedute soglio spesso combinar la filosofia coll' Antiquaria, rinvengo nella dissertazione del sig. d' Ancora un amplissimo campo, onde spaziare colle mie riflessioni. Ed essendomi in prima arrestato col pensiero sopra una statuetta di argento esistente nel gabinetto del sig. Corazzi, e che rappresenta un Arpocrate alato, non ho potuto ammeno di non sottoporlo al seguente ragionamento.

Il sistema che tenevano gli antichi nella loro religione, o essa fosse diretta all' osservanza del buon costume, e buon ordine di società, o in patrocinio dell' arroganza e libertinaggio, come spesso avveniva; consisteva nel crearsi, ed adottare delle divinità, intorno a cui spesso collocavano de' simboli, o caratteristiche, che denotavano metaforicamente il merito o vero, o falso di esse, o la virtù, o il vizio, che esse patrocinavano; ma in Arpocrate detti simboli contengono secondo il mio parere qualche cosa di più. Arrestandomi soltanto col pensiere sopra l' Arpocratino di argento del Museo Corazzi, mi sovvengo esser egli talmente ripieno di simboli appartenenti ad altre divinità (qualora non si voglian confondere le altre divinità con Arpocrate, come spesso fa il Cupero) che

non posso trattenermi dal giudicarlo quasi un Panteo, ed è simile a quello che riferisce il detto autore nel suo aureo trattato sopra Arpocrate. Egli ha la Nebride di Bacco, il Serpente di Esculapio, il Carcasso d' Apollo, il Cornucopia della Fortuna, la Civetta di Minerva, colla pianta Loto di cui gli Egiziani aveano tanta venerazione. Ora senza estendermi a dare a questi simboli quella interpretazione, che gli dà saggiamente il Cupero, riferendoli tutti al Sole, gli sottometto ad altra riflessione, giudicandoli essere un indizio della importanza del silenzio nei differenti stati della vita umana. Per esempio è egli apparentemente un Amorino alato che sembra col suo dito alla bocca impor silenzio agl' innamorati. Questo precetto non può essere più adattato alle lezioni di Ovidio, o si consideri il silenzio come segreto, o in altro modo ancora. Egli sembra coi simboli di Esculapio imporre il silenzio, ed il segreto ai Professori dell' Arte medica: giustissima ammonizione, la quale se i moderni l' applaudiscono, e la praticano, gli antichi la veneravano ancor più, mentre stendevano l' arcano della medicina fino nelle preparazioni istesse medicinali, come ne possono essere una riprova le arcaniche cifre de' Metalli, di cui i moderni si servono ancora, particolarmente nelle tavole di affinità de' metalli, che praticano i Chimici. Perciò ben vede, sig. Avvocato, di quanta utilità può essere la dissertazione del sig. d' Ancora.

Io per mia parte gli sono tenutissimo, mentre penso di tessere una dissertazione sulla veduta che gli ho esposto, e non mi resta da desiderare, se non che il genio illustre del sig. d' Ancora, a cui presenterà i miei

più distinti ossequj, si determini a favorirci qualche suo Ms. per inserirsi nei tomi seguenti de' nostri atti; il che spero ancora dalla rispettabilissima sua persona, alla quale con tutto il rispetto, e stima, ho l'onore di confermarmi

Di V.S. Ecc.

Di casa 25. Gennajo 1783

Sig. Avvocato Lodovico Coltellini.

Devotiss. obbligatiss. servitore

Il Prevosto Curzio Venuti.

(6) Sio nempe Ancora ipse in epistola *de virgin. sign. p.* 3. *init.* qua in re sequutus videtur summi Viri atque elapsi saeculi philosophorum facile principis I B. Vici auctoritatem, qui sic de philosophia, et philologia edixit: *La filosofia contempla la ragione, onde viene la scienza del vero; la filologia osserva l'autorità dell' umano arbitrio, onde viene la coscienza del certo.*

(7) Edita est dissertatio forma, quam vocant, octava italice hoc titulo: *Saggio sull' uso de' pozzi presso gli antichi per preservativo de' tremuoti.* Summo ab eruditis excepta est plausu, quod praeter alia argumenta docebit sequens Coltellinii Cortonensis ad Ancoram epistola:

Illustriss. Sig. Sig. Padr. Col.

Rispintemi dal sig. Abate Amaduzzi mi pervennero le sei copie dell' erudita dissertazione sull' uso de' Pozzi presso gli antichi. L' ho letta con piacere, e molto ringrazio V.S. Illustrissima della sua gentilezza verso di me. Vedo che ci ha riunite più e varie notizie, e che ha fatto ciò giudiziosamente. Che gli Etrusci

ancora potessero avere i Pozzi è un asserto da persuadersene. Taluno esiterà nondimeno sull' origine dei *Puteoli*, e con venia del Martorelli la reputerà piuttosto latina, che fenicia. Limitrofi al territorio Cortonese abbiamo due Castelli, uno si chiama *Pozzuolo* sul lago Trasimeno, ed altro *Pozzo* nella Diocesi Aretina, *Puteoli*, e *Puteus* in carte del medio Evo. Sorprenderebbe fra noi chi azzardasse che in quelle voci vi sia rimasto qualche segno di Fenicio. A prova de' pozzi Etrusci parmi, che vieppiù giovar le potrebbe il monumento del Museo Capitolino, che serviva di bocca, o recinto ad un pozzo, riportato da *Winckelmann nei monum. inediti* Tom. 1. n. 5. e che *Tom. II. Cap.* 3. nota esser di scoltura, che sembra Etrusca. Più. Quì dentro Cortona pozzi tuttora sussistono vetustissimi, e di Etrusca fabbrica. In alcuno di essi anticaglie Etrusche pur si rinvennero, ed in specie (non ha molto) un cane di bronzo, e due statuette dello stesso metallo, una virile, ed altra di donna, tutte tre con iscrizione Etrusca, modellate egregiamente, e che da me stesso si acquistarono. Ma tornando alle copie da lei favoritemi le dirò, che una riserbandomene, distribuite ho l'altre ad amici letterati e qui ed altrove. Ne ho fino trasmessa una a Costantinopoli all' Ab. *Sestini* dell' Antiquaria benemerito per i suoi viaggi, e la gran collezione numismatica che ha fatto, e va facendo, col quale ho amicizia, e periodico carteggio.

V. S. Illust. continui ad esercitare il suo culto talento. Mi rassegni pieno di rispettosa osservanza a S. E. il Duca D. Michele Vargas. Pensi a comandarmi, e

col solito ossequio, e stima ho l'onore di confermarmi, quale sarò sempre

Cortona 7. Luglio 1787.

Di V. S. Illustr.

Dev. obbl. servitore
LOD. COLTELLINI.

De hac vero dissertatione, uti et de ceteris Ancorae operibus et ipso Ancora consulendus et Signorellius noster *Vicende della Coltura delle due Sicilie t. 6. etc.*

